



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sanctimoniali, cui mentaliter ostensum est sacramentu[m] sanctae  
Trinitatis, cap. 39.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

492 DE DIVERSIS VISIONIBVS  
benediceretur columbam, sicut dictum est in distinc-  
tione prima cap. 3.

CAPVT XXXVIII.

CAESARIVS.

**D**Vm in eadem domo monachus quidam iuue-  
nis Euangelium legeret in conuentu, prædictus  
Henricus columbam candidissimam super ca-  
put eius descendere vidit, illic quierè residentem vs-  
que ad finem Euangelij: fuerat enim idem monachus  
ibi hospes, & tam bonæ vitæ, vt tanta gratia dignus ha-  
beretur. Processu temporis, cùm factus fuisset sacer-  
dos, cuidam monacho ex fratribus eius sacerdos qui-  
dam secularis dicebat: Ego frequenter video colum-  
bam super caput illius monachi, quando missas cele-  
brat. Non tamen puto eum aliquando missæ eius in-  
terfuisse corpore, sed spiritu: est enim vir religiosus,  
multas habens reuelationes à Deo. **APOLLONIVS:**  
Quid sentiendum est de huiusmodi columbis? **CAE-  
SARIVS:** De hac quæstione, quantum potui, expedi-  
ui te in distinctione secunda cap. 5. loquens de sacer-  
dote fornicario, cui columba sacramentum altaris tu-  
lit, & post pœnitentiam restituit: signum est aduen-  
tus Spiritus sancti columba. Si nihil fuisset diuini in  
prædictis columbis, etiam alij eas vidissent. **APOLLO-  
NIVS:** Hoc satis credibile est. **CAESARIVS:** Quòd au-  
tem Spiritus sanctus etiam in igne præsentiam suam  
quandoque manifestat, audies in distinctione nona,  
cap. 34. Quia iam plures visiones tibi retuli de Chri-  
sto, quasdam etiam de Spiritu sancto, vnã tibi adhuc  
dicam de sancta Trinitate.

CAPVT XXXIX.

*Appari-  
tio san-  
ctissimæ  
Trinita-  
tis.*

**N**on est diu, quòd quædam sanctimonialis ordi-  
nis nostri, dum in quadã die Dominica ad Pri-  
mam staret, & chorus psalleret fidem Athanasij,  
illa de mysterio summæ Trinitatis cogitans, mente ex-  
cessit: in quo excessu tanta ei sunt reuelata de illa  
summa & æterna Trinitate, vt suo confessori illa, siue  
modum eiusdem visionis, explicare non posset. Ecce  
sic copiosè Dominus visioni nostræ condescendit. Ip-  
sa



se est quem Iacob in somnis vidit innixum scalæ; angeli verò ascendentes, siue descendentes, sunt ceteri, vt dictum est, ordines ciuium cœlestium, descendentes nobis apparendo, & ascendentes se nostris visibus subtrahendo, ipsi enim sunt Christi corpus & membra. APOLLONIVS: Qua similitudine? CÆSARIVS: Similitudinem tibi dicam satis manifestam.

## CAPVT XL.

**C**aput Christi, Deus; caput ecclesiæ Christus: Oculi Christi sunt angeli, semper faciem Patris videntes, auris eius Patriarchæ legem Dei audientes: nares Christi sunt Prophetæ, quæ futura erant procul odorantes: Os eius Apostoli, quæ ab ipso videntur & audierunt mundo prædicantes: Barba Christi sunt martyres, fortitudinem mentis, quam barba designat, in suis tormentis ostendentes: Vbera Christi sunt cōfessores, verbo & exemplo infirmos nutrientes: Venter eius, virgines & continentes, fructui carnis, castitatis amorem anteponeutes. De his sponsa dicit in Canticis canticorum dilecto: Venter eius eburneus distinctus saphiris. Ebur, quod frigidissimum est, designat virginitatē. Hyacinthus verò, qui aërei coloris est, perfectionem vidualem. APOLLONIVS: His non inutiliter præmissis, precor vt de singulis ordinibus, si quas nosti, subjungas visiones. CÆSARIVS: Hoc libens faciam, & hoc primò de angelis.

## CAPVT XLI.

## APOLLONIVS:

**Q**uot sunt ordines angelorum? CÆSARIVS: Nouem, Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubin, & Seraphin. Dicuntur autem angeli, id est nuncij, quia diuinam voluntatem suggerēdo nobis nunciant. Quilibet homo habet angelum sibi à Deo deputatum ad custodiam ab hora natiuitatis vsque ad diem mortis, quorum ministerium quantum sit hominibus necessarium, quibusdā tibi pandā exemplis.

CA-

Gen. 28.

*Qua similitudine sancti sunt Christi corpus & membra.*

1. Cor. 11

Ephes. 5.

Mat. 18.

Cant. 5.

*Ordines & officium Angelorum*